

Bibliothèque numérique

medic@

**Hallé, Jean-Natale - candidat / Tessier,
Henri-Alexandre - président. - An
detur in corpore animato vis tonica ?**

1776.

***Paris : Typis Quillau
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337 n°97***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax16x0097](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax16x0097)

97.
DEO OPTIMO MAXIMO

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,

*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ nonâ mensis Decembris,
anno Domini MDCC. LXXVI.*

M^o. HENRICO-ALEXANDRO TESSIER,
Clerico Carnutense, è Regiâ Societate Medicâ Parisiensi, pro Epidemiis
institutâ, Doctore Medico, Præside.

An detur in corpore animato vis tonica?

I.



ULLAM in rerum naturâ mutationem exoriri posse, absque motu partium in se invicem agentium, omniaque motûs animalis phænomena in mutuâ solidorum fluidorumque actione consistere, vel levissimâ attentione deprehendimus. Cordis impetus ex centro totius machinæ prorumpens, universam humorum molem, à pulmonibus acceptam, eisque creditam, undequaque per omnem corporis ambitum propellit. Ista ingenti, neque adhucdum benè calculis expressâ, celeritate ruit & in ultimorum vasorum intricatos fines arietat. Impulsui recepto singulæ partes pari reactione respondent, & per æquatos utriusque potentiaë renixus, addensatus pressione, attritusque motu, conficitur sanguis. Hic in nova viscerum protrusus organa, proprietate illorum structuræ mutatur, & novas induit formas. Intereâ perennat motus. Ejus perennatione redit in commune flumen superfluus latex. Sic excreta secretaque defluunt variatâ velocitate: sic movetur propriis vasis percolata lympa, nutritiis feta moleculis: sic motus omnium opifex, assimilata membris applicans, reparat, roborat, & feminis implet officinas.

Fluidis mobilitatem vitalem, sive vitam ipsam, tribuere, impossibile est: licet viri apud Britannos doctissimi contrarium nuperrimis experimentis conentur adstruere. In illis enim nullum, unde moveantur, punctum fixum, nullum sensum, quo solo regitur motus vitalis, reperias usquàm. Solidæ verò & organicæ fibræ, veses, trochleasque, & fixiora puncta undè trahat motus originem, & sentiendi facultatem, oculis exhibent. Adeòque eæ solæ possunt tum ab externis causis, tum à stimulis internis, incitari atque commoveri. Atenim ex effectibus, ex solidorum structurâ, ex fluidorum distributione, nullus alius concussarum fibrarum concipitur agendi modus, præter contractionem.

Verùm ad peragenda munera recensita, non sufficeret actio musculorum, nisi etiã vis alia singulis organis esset concessa, quæ adimpleat illas actiones, quas muscoli, aut nullatenus possunt exequi, aut saltẽm perficere nequeunt. Ista dici potest *vis vitalis, vis tonica*. Pendet enim à vitæ actione, nec, sine eâ, vita aut stare, aut concipi potest.

Dùm scilicet ex encephalo manat influxus vitalis in totum corpus, pars quælibet propriam indẽ vitam sibi sumere videtur, peculiaremque agendi vim, quam sua phænomena distinguunt maximẽ, & ab impetu musculari, qui non ita multarum est partium, & ab inertia tensionis merẽ mechanicæ. Ea vitæ conjuncta, constans, dùm vitalem omnibus organis tensionem dividit, determinatam quoque singulis impertit actionem ad peragenda munia, & adversus vires oppositas, tonicam reactionem. Ea post mortem nulla, in somno remissior, in vigilantibus arrecta, stimulis intenditur, & in erethismum aucta transit. Quaquaversum dividitur, exceptis illis partibus, quæ, etsi humori vitali perviæ, solo mechanicarum proprietatum jure fruuntur: ut est ossæa compages & membranarum aliquot epidermidisque substantia. Plurima igitur, & quæcumque à musculorum contractione non pendent, motus phænomena, ejus reguntur legibus.

I I.

IMPETUM cordis, non iners tantum & mechanica resistantia, neque sola muscularium fibrarum reactio, sed etiam partium *vitalis tonus* reciprocatur. Iste stimulis augetur, intenditur vigiliã, quiete minuitur; mollescit somno, morte destruitur. Iisdem gradibus crescunt ceduntque hujus reactionis effectus, attritus & addensatio. Ea nempe omnibus lex est, unde repletio canalium pendet, ut contenta fluida premat undique vas continens: neque aut exundat additã mole, aut subductã vacuatur ejus cavitas: sed faciliẽ nunc dilatat se, nunc rursus sese contrahit, fibrarum ambitus. Nec stimulos ignorat ea vis, contractuque tonico sanguis repellitur, dũ pallent membra pavore, frigore & invasione febrili. Nec minus quodlibet organum, qualibet pars vicina reagit in exceptum vasis humorem. Inde vis nova, motusque perpetuò renovatus urget per vasa minima fluidorum molem; ut verò in latiori sanguinis oceano, sic in intimis partium penentralibus iidem effectus continuati reviviscunt. Namque si tot obstacula, tot resistantias, tot convolutorum vasculorum mæandros conferas, vix sufficere, stricioribus etiam numeris, videbitur sola cordis potentia, ut agat in moleculas per tenuissimos canales aberrantes. Scilicet cordis vis imprimit massæ sanguinis coctionem generalem, sed rudem & elaborandam. Ut nempe est sua cuique secretioni humoris qualitas, ita & sua cuique coctio, à renovato naturæ in singulis partibus actuosus labore. Lymphæ conciliatur illud & plasticum, & tenue simul; accedit muco tenacitas; salivam sua dulcedo non deficit; bilem sequitur amarities; semen genitalis aura: nonne & suum sibi quæque pars conficit alimentum? Manet quidem abstrusa nimis harum mutationum norma. At nihilominus suis se declarat phænomenis actio vitalis intus habitans. Illam augere præterea potest & stimulus externus, & acredinis adventitiæ irritamentum. Sic perpetuis dilatationis, pressionis, contractionis vicibus suum organa quæque excipiunt, assimilant, fecernunt liquorem; atque certis temporibus, uberius ubi materies sollicitat viscera, aucta fibra;

rum actio auget secreti fluidi vim. Quod verò superfluum revehant vasa venosa sanguinem, id jure primo cordis impulsui per arteriarum vim renovato tribuendum est. Indè organum nec turgēt materiā, nec eget. Forsan & illud totum dabimus cordi quod exhalant arteriæ. At venæ quānam vi ex cavitatibus arteriosum vaporem inhalant hiantibus poris? Quanta, quā nova in iis oritur actio, dū exhaustis vasis circumfluum aquæ exterius alluentis laticem possunt combibere? Ipsa prætereā spatiola cellularis telæ, dum laxius continere videntur collectum humorem, eādē oscillationis vi modò ampliantur, modò in arctum se recipiunt. Adeps enim, neque in vacuum fluit, neque refoctus textum evacuat. Sed abstrusior forsā & à nostro proposito remotior est ista inquisitio.

Actionis illius vitalis efficaciam melius subjiciet ipsis sensibus rerum externarum in corpus nostrum potentior actio. Quid memorem varios affectus, & quot modis se mutet interpretis animi vultus? In eo scilicet muscoli, etiam absque musculari contractione, modò tensi, laxi modò, nunc resoluti, aliàs arrecti, solā tonicæ vis mutatione, iram, metum, mæstitiam, gaudium pronuntiant. Aeris ambientis vicibus percussi, modò frigore toti constringimur, cutis anserinā asperitate riget, tonico fibrarum tremore concutiuntur membra; modò succedente calore molliori, atoni resolvimur. Quantum sensiliores textus irritat vividius afflans aura electrica, futuri fulguris certissimum præfagium? Cibi sapor exprimit salivam; & exosa fercula dum gustus respuit, sæpè in omnem habitum spargitur exhorescentia subita, nauseaque vomitūs prænuncia mordet ventriculum. Nulli verò cedit illa violentia quā fibras arrigit, aut semen affluens, aut exoptata venus.

Quid plura? Ubi recepta venis innatat hostilis aliqua materies, continuò perspiratio sistitur, secreta fluunt parcius, omnes functiones perturbantur, jam non manat sanguis per minora vasa, pulsus debilior vix non deficit, quatit omnia tremor anxius: scilicet insolito stimulo percitæ fibræ contrahuntur, inimicum humorem recusant admittere, jamque superat cordis actionem partium reactio.

III.

ACTIO peculiaris illa quā prædicta phaenomena peraguntur, quam sufficit vita singulis organis, nullatenus, vel ad tensionem fibrarum mechanicam, vel ad vim musculorum referri debet. Etenim in multis partibus ad quas necessariò pergit actio tonica, nulla hucusque detecta sunt Anatomicis laboribus fibræ muscularis vestigia. Ea nempe est natura muscularis textus, ut industriam recentiorum, & armatos oculos fallere vix posse videatur. Facile enim ab aliarum compositione discernuntur fibræ crispæ & parallelæ. Talesque in partibus vi tonicâ solâ distinguendis reperiri nequeunt. Nulla fibra muscularis in hominum cute, neque in minimis vasis occurrit, neque in viscerum maximè sensilium, renum verbi gratiâ, parenchymate. An ulla deprehenditur in pilorum bulbis, maximè tamen contrahendis, undè arrigantur illi atque horreant? An in oculorum iride? An etiam in ureteribus? An in ipsâ glandularium organorum substantiâ, testium, parotidum, salivalium glandularum? Ductus tamen illorum excretorii & secretorii collectum humorem evidenter exprimunt. Nec est quod vicinorum pressionem incuses à quâ liberi sunt & adipe obvoluti. Sed illi propriâ vi contrahuntur. Si in majoribus vasorum arteriosorum truncis

offert se musculosa tunica, ea in minimis videtur evanescere, & in organorum vasculoso-
rum ambagibus abesse prorsus. Neque etiam viscera majora, præter glomeres *Ruyf-*
chianos & intermixtum *Ferrenii* molle parenchyma, fibras ullas præferunt musculares:
quique ipsis eas tribuere, id ex præconceptæ opinionis commentis effluxerunt,
quæ deinde nulla peritissimorum perspicacia potuit confirmare.

Sed præcipuè tonicam vim ab omni aliâ, sua distinguit indoles. Impulsus namque
& resistentiæ vices alternas peragit in corpore triplex potentia. *Tensio* fibrarum
mechanica ab earum compositione pendens, efficit resistentiam reactionemque mecha-
nicam: actionem verò novam, novamque reactionem exercent fibræ vitâ præditæ,
per vim muscularem & vim tonicam.

Tensionis mechanicae vis, in partibus una semper atque eadem, ab earum vitâ non
pendet, sed in ipsarum constitutione, densitate, massâ, & innatâ elasticitate posita
est: adeoque iners, nullius augmenti decrementive capax est, nisi lenti; ubi scilicet
illius effectus mutantur, mutatâ sensim distendentium fluidorum ad solida propor-
tione; vel dum ipsius intensitatem adaugent molecularum condensatio, appo-
sitioque nova per motum, & tarda senescentis corporis induratio. *Actio muscularis*,
non omnibus partibus concessa, conjuncta cum vitâ & nervorum influxu, validas
musculorum contractiones exequitur. Stimulis incitata, majores peragit motus, impetu
simul & celeritate notabilis; tonicæ actionis societate, novas acquirit vires; sed in-
constans, per longiora quietis intervalla feriat. Ipsa quoque cordis actio, conti-
nuis laceffita stimulis, alternâ relaxationis vice rependitur, quietura nempe si ex-
citamenta deficient.

Verùm *tonica vis* minus actionis momentum sortita, in intimo organorum con-
textu minores contractiones perficit, sed constantes, & nunquam, nisi in morbis
quibusdam, alternas. Quamvis enim stimulis augeri possit varièque intendatur &
remittat, nullibi tamen quiescit, nisi elanguerit vita ipsa. Namque sequi videtur
vitæ actuositatem, major in ipsius pleniori exercitio, major ubi stimuli admissi
corpus exagitant, ubi animi vividiores affectus novas addunt vires; in musculos
scilicet agit æquè ac partes in alias, per eos, etiam quiescentes, dispersita.

Igitur vis tonica tota in contractione consistit, in illâ constituitur; sed dum æqua-
liter ubique diffusa vires æquilibres facit, vix nisi attendenti advertitur. Illud enim
ipsi proprium est ut spargatur per omnes organicas fibras commercii continuitate. Sic
fortius premuntur fulcra, fortius partes mobiles trahuntur. Tali virium distributione
partes partibus respondent, & inter se æquilibrantur, partisque unius mutatio sæpè
oppositarum mutatione rependitur. Si, v. g., quâdam in parte nimium augetur
tonus; tunc ea dum sibi plus assimilât humoris nutritii, plus in se derivat & trahit,
crescitque rebore, major oppositis. Indè multi pendent in ækonomiâ animali quoti-
dianâ observatione deprehensi effectus. Hinc qui membra quædam præ cæteris duro
labore exercent, ea validiora pro aliorum artuum conditione ostentant.

Nec minor ad stimulorum propagationem valet hujus consortii vis; namque exci-
tatâ irritatione in aliquâ parte, simul quasi conjuratis viribus cæteræ conspirant. Ortus
sub tendinum vaginis paronychia, maximum febris concitat impetum, inflamma-
tionem membri totius accendit, gangrænâ ad humerum usque ducit. Verùm ipsa

hæc communicatio sequitur certas virium & directionis leges. Fit enira ex directo potentior. Sic quocumque ductu corporis sequaris habitum, dextra dextris respondent, sinistra sinistris, imposita proximè suppositis, & quæ communi teguntur involucro, inter se propius consentiunt. Inflammationes dextri lateris, tollit abcessus in dextras partes etiam diffitas. Hæmorrhagiam dextræ naris significat retractio dextri hypochondrii. Colli erysipelas anginam solvit, & rursus repressum erysipelas transit in anginam. Decocta fenna pluribus dum feriit nares, alvum quoque continuâ irritatione duxit. Accedit etiam inter nonnullas partes quædam affinitas, ab actionum similitudine pendens, stimuli que ejusdem percipiendi facultate. Sic similis similibus cryptarum constitutio conjungit omnem tractum narium, oris, ventriculi, intestinorum: ita ut nôrint Practici, ex linguæ orisque interni consideratione, internorum statum detegere. Coryzæ in anginam, hujus in catarrhum aut diarrhæam transitus frequentissimus est. Nonne utero ita consociantur mammæ ut communiter afficiantur & laborent? Nonne uno rene dolente, alter compatitur & universa sistitur urina? Scilicet etiam si sint irritamenta quibus æquè excitari videatur omnis omnium fibrarum innata sentiendi vis, sunt stimuli certi quibus aliæ partes ascultant maximè, aliæ quasi obfurdescunt. His observatis metastasium tum generalium, tum peculiarium observatio respondet, & innititur firmissimum prælagium. His artem imitatrix obsequitur. His ductus Hippocrates, irritationis è directo agentis doctrinam instituit, interpretatur naturæ, & revulsionum derivationumque leges ex ipsius deprompsit arcanis.

IV.

QUÆ cum ita sint, & suæ vi tonicæ partes concessæ fuerint ipsiusque à musculorum actione differentia sit constituta; superest ut ipsam experimentis variè tentemus, exploremus observatis, ipsiusque per omnes intensitatis gradus deductæ, vim, mutationes & phænomena deprehendamus.

Omnes graduum diversitates, quibus insistere potest vis tonica, triplici distinctione contineri possunt. Ubi enim ferè deficit illa, status est *atonix*; hic est gradus infimus. Huic oppositus *erethismus* summum constituit. *Sanitas* verò hos inter media, ipsa quoque dividitur in status *somni* & *vigiliæ*. Neque fugit sensus ea divisio, sed notatur omnibus tensionis auctæ immunitæque phænomenis. Nemo enim est qui membrorum morientium flacciditatem, à sani hominis vigore; somni molliem, à vigiliæ firmitate; istam ab inflammationis spasmodicæ renitentia non distinguat. Neque illud prætereundum est, pari gressu incedere sentiendi vim & similes inter esse differentiarum notas, inter insensiles ferè atoni corporis fibras, dormientis stuporem, sensum vigilantis acrem, erethismi impatientiam.

In ipsius quoque sanitatis maximâ integritate, multas subit vicissitudines actio tonica, quarum efficacia non minùs ex ejus imminutione quàm ex augmento potest deprehendi. Ut enim sanis hominibus aliquandò vis illa augetur maximè, ita etiam citrà sanitatis limites sæpè videtur elanguescere. Mollis imbellisque muliercula, ad motum inepta, stare vix valens aut fulciri pedibus, quantum differt à duro milite! Quàm diffliunt illius musculi, quàm firmi hujus artus! Hunc urbium ruinæ feriant impavidum, illa sublimi mollis anhelitu, vix fugam præ imbecillitate capebat.

Imò in eodem homine, sæpè subitæ alternæque mutationes oriuntur, quibus vis tonica se prodat, & in ipsis, licet quiescentibus, musculis secernitur ab actione musculari. Nullibi verò melius aut sæpius quàm in vultu deprehenduntur. Quot enim, quàm varias conspiciamus faciei conversiones, ubi, solis actionis tonicæ mutatæ vicibus, mæstitiâ collapsi muscoli, irâ tumidi, arrecti lætitiâ, pavore resoluti, intimum animi, etiam reluctantis, arguunt affectum?

Verùm in summo irritationis gradu omnia tensa & rumpendis proxima, omnia plena violentiæ. Maximè verò ubi nervis insidet malum & ipsi ex utero primus oritur impetus. Quis ignorat nixus parturientium? Quis hysterici paroxysmi furias? Quantum adest ubique tensionis & renitentia? Stricta cutis; capilli horrentes; rigidi artus; ferrei muscoli; motus conciti; oculi stantes; sensus omnes ita internis stimulis obfusi ut ad externa obsurdescant. Interea cordis actio præceps, pulsus strictus, frequens, durus. Secernenda constrictis canalibus retinentur; sola tenuior aqua renibit elabatur, & in ipsius profluvio, exprimentis renis actio spasmodica deprehenditur. Tandem suis devicta nisibus refedit natura, subito collabuntur membra, & quo major fuit tensio, eò distractis nimium fibris succedit major atonia. Nec mirum est antispasmodicorum actio, quorum vis subtilis & penetrans dum facillè tenuissimas fibras pervadit, æqualiter ubique sparsa tonum temperat, motus abnormes compefcit, & sensim compositis ad æquilibrium fibris reducit optatam quietem. Hujus quoque loci debet esse inflammatio & comes inflammationi dolor. Materies acris intus delata, stimulos in partem adigit. Augetur in eâ motus, gradatim accedunt rubor, calor, pruritus, tumor, tensio, dolor; crescit sanguinis impetus, pulsant arteriæ, & partem sæpè unicam vera febris occupat. Sic constrictis omnibus, auctâque cum tensione resistentiâ, major in humorem impactum exercetur actio, ipsiusque mutatio secundum naturæ leges, sive coctio, perficitur. Eò cæterum acrior inflammatio, dolor vividior, difficilior resolutio, quò simul textus densior est, & nervis impletur pluribus. Ideò videmus strictiores fibras, ut duræ matris, pleuræ, periosteï, aponevrosium, ligamentorum articularium; easque partes quarum plures sunt nervi, ut pulmones, diaphragma, ventriculum, intestina, & periculosius inflammari, & cruciari violentius.

Contrà evidenter imminuitur vis tonicæ intensitas, & simul imminuitur laxatis fibris, deficitque vita, dum naturæ vires afflat aura maligna. Tunc iners natura premitur, nec suum dolet malum, nec suæ salutis invigilat. Laxa cutis, collapsi artus, muscoli flaccidi, segnes motus, languidi oculi, sensus tardi atque hebetes, atoniam demonstrant. Nec pulsui solitum robur, nec rythmus inest, sed cum celeritate debilitas. Suspensæ functiones, dum minimum motum denuntiant, maximam labem portendunt. Non absimilem veneni specifici potentiam exerunt opium & narcotica medicamenta; etiamsi aliquam sæpè differentiam præferant in suarum scenarum exordiis. Ubi ingestum est opium, torpor spargitur in omnem machinam. Alio sepultum somno resolvitur atonum corpus. Cum sensuum hebetudine partiumque inertia omnia sistuntur munera. Primis tamen horis augetur cordis actio: frequentius pulsatur, sed mollior arteria; & sola de functionibus superest, aucta perspiratio. At ipse sensim cordis impetus veneni vim persequitur demùm, lentos, vanosque

molitur ictus, & immutato robore exstinguitur. Continuata quietis imagine sopor in lethum transit. Multis etiam, ut in morbis malignis, ita & inter opii effectus, accidit post subsultus inquietos, in ipsa atonia convulsio. Sed illa, non ut in spasmodicis dura intensaque est, verum cum quadam inertia & laxitate conjungitur. Scilicet in ipsa actionis muscularis violentia tonus deficit. Non minus applicato partibus opio, & sensus, & motus, & firmitas pereunt; subita quidem actione, si intra vulnus apertum instilletur illud, tardiori, si cuti integræ appositum fuerit.

V.

MAGNAS igitur in animalium œconomiâ partes implet tonica vis; inde vidimus in sanitate perfici functiones; æquilibrium corporis confirmari; à stimulis nocituris defendi machinam; maximâ ex parte vitam organorum inde pendere. Nec minor ejus utilitas ubi cum morbo natura colluctatur: sive sit excludenda, sive concoquenda, sive demum expellenda morbi materies. Tunc enim præcipue valet inter partes illud tonicæ communionis fœdus. Per subitas enim stricturas aditu undique intercluso, conservantur sana; simul fibris in erethismum arrectis, actione crescente, aucto renixu, collectis viribus, excitata febris, arctius premitur, attentius validius, potentiùs concoquitur malus humor; dein coctum, victrix natura, altius insurgens, novo molimine, omnibus armis, propulsat violentius; & novos arguunt in critica perturbatione nixus, horrores, tremores, rigores, pulsationes insolitæ, partium retractiones, organorum, per quæ materies debet erumpere, tumultuosi motus, & quæcumque phænomena, vel in habitu toto, vel in partibus variis toni sequuntur intensitatem, futuræ criseos prænuncia.

Ex his præterea signis certior lux affulget praxi medicæ. Inde Medicus expendit naturæ vires; inde novit num illa vincendo valeat; num violentior debeat temperari; num contra debiliior indigeat cardiacis; num malignis afflatibus vires opprimens malum, specificis domandum sit: novit qui modus alimentis esse debeat, ut nec deficient vires, nec opere nimio gravetur corpus: discernit quæ sit medicamentis occasio, ne irriter præposterè; & hæc face ductus, modò gnaviter agit, modò quiescit, nusquam tamen otiosus.

Ab hæc tonicæ actionis demonstratione, multa sunt quæ non solvuntur actionum singularium phænomena. Inest enim cuique visceri ex propria & peculiari structurâ facultas agendi, quæ ipsi vim propriam impertit. Hæc non simplex est. Impetus sanguinis, valorum complicatio, nervorum influxus, elasticitas innata, vis tonica addita, muscularis actio, vicinarum partium concursus & consensus, non sufficiunt ut intelligamus, in quo consistant variarum functionum differentia; quâ ratione talem tale viscus conficiat humorem; cur stimulorum non eadem sit omnes in partes actio; cur quibusdam humoribus alia sint invia viscera, alia pervia; cur Cantharides vesicam petant intacto pulmone; cur alia urinam ducant uberius; salivam alia, quædam bilem; cur Cortex Peruvianus morbos periodicè intermittentes domet. Hæc omnia naturæ teguntur arcanis, & fortè nunquam in lucem prodibunt. Verum suffecerit, præter plurimos vitæ effectus, inde pendere maximas temperamentorum diversitates: unde hic fibrâ laxiore molem corpoream trahit, etiam in strictiori diætâ; hic contra alacris, ad omnes motus promptus vix sub copioso ali-

mentorum usu adipem secerni sinit. Suffecerit ex ejus cognitione posse enodari derivationum & sympathiarum, aliquâ ex parte, mechanismum.

Igitur ex allatis patet, à vitâ pendere vim tonicam, & vitæ alacritatem perpetuâ actione sustinere: eâ crescente per varia irritamenta, omnia phænomena contractionis exeri; contrà venenis infractâ languere vitam, sequi relaxationem fibrarum. Constat illam deficere posse in agentibus musculis, in quiescentibus intendi; neque obscurum est ita cum sentiendi facultate consociari, ut acutiore sensu tonus augeatur, & rursus intensiori tono succedat sensus acutior. Adeòque illud quod comprobandum suscepimus meritò concludimus; inesse fibris organicis facultatem agendi vitalem, in contractione sitam, constanter agentem, intimè cum sentiendi vi conjunctam, atque omninò, etiam in musculis, à musculari contractione distinguendam. Eam vim tonicam vitalemque meritò dicimus:

Ergò datur in corpore animato vis tonica.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Baptista JUMELIN.

M. Thomas LE TENNEUR.

M. Joannes - Jacobus BELLE-
TESTE, antiquus Facultatis
Decanus.

M. Jacobus-Carolus DE BRO-
TONNE.

M. Felix VICQ D'AZYR, è
Regiâ Scientiarum Academiâ,
Serenissimi Comitis Atrebatum
Consiliarius Medicus, Regiâ
Medicorum Collegii Nanceia-
norum Socius honorarius,
Anatomie Professor, Epide-
miis totius Regni Præfectus,
& primarius in Regiâ Societate
Medicâ Parisiensi Correspon-
dens.

M. Michaël - Philippus BOU-
VART, Regii Ordinis Eques,
Regiæ Scientiarum Academiæ
Socius, è Regiâ Societate Me-
dicâ pro Epidemiis institutâ.

M. Joannes - Jacobus DE LA
PORTE, è Regiâ Societate
Medicâ pro Epidemiis insti-
tutâ.

M. Antonius CHAUMONT SA-
BATIER.

M. Michaël - Josephus MA-
JAVLT, antiquus Regiâ
exercituum in Germaniâ Me-
dicus.

Proponebat Parisiis JOANNES-NATALIS HALLÉ, Parisinus, Saluberrimæ
Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theses Auctor. A. R. S. H. 1776.
A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAV Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1776.